Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36550
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

1

Expositio Origenis

CREDO IN DEUM PATREM OMNIPOTENTEM.

Bene incipit a credulitate confessio. Quia sic — De sancta trinitate
et beatus paulus expressit. Corde inquit creditur ad iustitiam.
ore autem confessio fit ad salutem. Crede ergo in deum patrem omnipoten
tem. deum ingenitum qui ortus a nullo est. a nullo cepit. deum inuisibilem quem
nullus oculus carnalis uidere potest. deum incomprehensibilem qui omnia comprehendit.
deum inmutabilem qui non mutatur temporibus nec senescit etate, sed semper idem est. qui non
in tempore cepit uiuere. sed semper uiuens nullum patitur successorem. deum bonum
et iustum celi et terre creatorem. Crede hunc confitere deum. sed eundem con
fitere et patrem. Patrem filii esse necesse est. Nemo enim pater est sine filio. Pater ergo super
filium est. habens utique filium cuius sit pater. Et hec est pia confessio in deum. ut eum
non solum deum scias sicut iudei. sed cognoscas et patrem. patrem uiuentis ubi uirtutis
ac scientie proprie. qui ante omnia secula. ante omnium fine principium. ante omnino tempus ex se genuit filium. spiritum
deus deum. in quo sunt condita uniuersa. que in celis et que in terra. uisibilia et inuisibilia. sicut docet
paulus. et consignat iohannes. Omnia inquit per ipsum facta sunt et sine ipso factum est nihil. Credens
ergo in deum patrem. ~~et sine illo~~ statim te confitebis credere et in filium eius ihesum christum.
Hic est filius dei ihesus christus. Ihesus quidem ex hebreorum lingua interpretatus saluator intel
ligitur. Christus uero regie dignitatis appellatio est uelud saluator. rex unus — Xpistus
atque idem christus ihesus, hic propter nostram salutem descendit de celis a patre. et simi
le nobis corpus accepit. natum ex spiritu sancto et ex maria uirgine sine ulla uiri
operatione. Corpus ex corpore spiritus sancti uirtute generatum est. manens deus homo fac
tus est. ut hominibus et usui et doctrine et saluti esse possit. quia aliter diuinitas
ab hominibus sustineri non poterat. nisi humani corporis assumptione uisibi
lis. Natus est ergo ex sancta et incontaminata uirgine. ut sancte natiuitatis nobis prestaret initi
um. Natus est secundum quod ante dictum fuerat per prophetam; ecce uirgo in utero conci
piet et pariet filium et uocabunt nomen eius emmanuel quod interpretatur nobiscum deus. Crede ergo hunc qui ex uirgine natus
est nobiscum esse deum. Deum ante omnia secula de patre. hominem ex uirgine.
Propter homines uere in carne natum non putatiue. sicut quidam erant heretici
erubescentes mysterium. in fantasmate dicunt factam incarnationem
dei. quasi uere non fuerit quod uidebatur. sed oculos fefellerit hominum. quod absit om
nino a dei ueritate. Si enim falsa incarnatio est. falsa erit et salus hominibus. Quod
si uera in christo est. eque uera incarnatio est in ipso. utrumque existens. homo